TERPSICHORE

Quam suavis hilaritas et hilaris suavitas meam perculit mentem! certè haec laetitia sapit dulcorem Hyblaeum. Exordium

Vix tanto gaudio perfusus est Archimedes, dum inventa permisti auri atq argenti ratione, è balneo nudus curre-rit domum exclamans: εὕρηκα, εὕρηκα inveni, inveni. Nam et ego ita invenio tantum gaudium, ut nesciam quo sereno vultu, quo laetante gestu surgam! unde itaq hauriam laudes pro dignitate laudi dare Apollini ob suum institutum? unde petam? unde sumam? pleniore utiq ore hoc institutum laudibus ad coelum efferendum et extollendum puto: Si mihi tot linguae quot creditur Argus [ocellis] Tractatio

Perdius et pernox Phariam servasse [juvencam]

vix possem dignè extollere laudibus. Evocavit videlicet nos sorores, Apollo, ut praepedimenta studiorum depingeremus, depicta cerae (loquar cum Lyricorum phoenice Horatio) juventuti quae facile in vitium flectitur, ob oculos poneremus, ob oculos posita, pestifera esse declararemus, pestifera postquam declarata, ad Garamantes relegaremus, deniq relegata detestaremur. Et omnino hoc etiam aequum esse hariolor in communi malo communi niti consilio, proinde et ego, ego, inquam, Terpsichores nomine quae venio, mandato fungar munere. Nam (ut denuo loquar cum Venusino illo Poëta)

Est mihi purgatam crebrò qui personat aurem

Apollo, nimirum jubet me esse paratam, parata etiam adsum et indigitabo illud malum atrocium quod studiis imminet sub sphaera Jovis, Jovis inquam, qui Graecanicis dicitur Ζεὺς, à ζάω et est Planeta lucidus, benevolus, calidus et humidus cujus circulum antiqui Philosophi fecerunt causam felicitatis et de quo Astrologi dicunt: quod coöperetur in corpore humano ad pulchritudinem et honestatem. Sed quid? non intemperantia, non procrastinatione non ullo deniq vitio magis à solida studiorum perfectione abstrahuntur Jovialia ingenia quam Philautia. Sed, ne longiores hic simus quam necesse est, audite: Quoniam Definitio fundamentum immissis fax et anima totius tractationis est teste peripateticorum principe, Aristotele, attingam nunc quasi cunabula quaedam et elementa φιλαυτίας animiq procedente tempore, ad summum gloriae cumulum pervenerim, referam obstacula. Φιλαυτία quod ad natales vox est Graeca ex Nomine φίλος et αὐτὸς sui, id convenientius αὐτοφιλία estq quasi amor sui ipsius. Si itaq laudes φιλαυτίας aliquis quaerat, adest unanimis ille scriptorum ferè animus, sive Poëtas spectet sive Oratores, sive Philosophos, nemo non laudat sed probro eam ducit: quippe experientia doctrice fuit et dilectio omnium vitiorum seminarium et origo: hoc testantur tot paroemiarum insignium sententiarumq illustrium dicasteria lippis etiam et tonsoribus nota.